

posset. §. 469. Deus potest omnia, §. 832. Ergo dei omnipotentia non extenditur ad absolute impossibilia. Impossibile alicui est, ad quod actuandum vires eius non sufficiunt. §. 469. Hoc significatu deo nulla res impossibilis. Omnis res ergo nobis et omni finito impossibilis deo possibilis est. §. 832.

§. 834.

Miracula sunt possibilia, §. 475. Dei vis ad omnia possibilia actuanda sufficit, §. 832. Ergo deus potest patrare miracula rigorosa, §. 477, 833.

§. 835.

Deus potest actuare omnes mundos possibles, §. 832. Ergo et optimum, §. 436. et imperfectissimum sine exceptionibus, §. 442.

§. 836.

Deus est substantia, §. 830. nec habet modos, §. 825. Ergo est substantia necessaria, §. 202. nec statum internum habet, §. 306. nec modificabilis est, §. 209. Unde denuo patet, mundum esse non posse modificationem dei, §. 388.

§. 837.

Ortus et interitus omnis, ortus ex nihilo et annihilatio substantiae necessariae sunt